

Christian Schlee Johannes Cnopius

Pars Prima Thesium Theologicarum De verbis Sacramenti Eucharistici

Rostochii: Myliander, 1606

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518172>


Druck Freier  Zugang




Chr. Sledanus.

R. U. theol. 1606. 1a

15



①



25

PARS PRIMA
THESISVM THEOLOGICARVM
De verbis
SACRAMENTI
EUCCHARISTICI;

Quas
Candido τῶν συνθεολογούντων Judicio & Colloquio
IN

Academia Rostochiana,
Reverendi Collegij voluntate,
proponēbat pub.

M. CHRISTIANVS SLEDANVS
SS. Theologia Professor;

RESPONDENTE
M. JOHANNES CNOPIO Gnojense
Megapol.

Addiē 4. Iduum Iulij, In Au-
ditorio magno.



ROSTOCHII
Ex Officinâ Typographicâ Stephani Myliandri

M. DC. VI.



Amplissimis & Prudentissimis
VIRIS,
DN. HEINRICO Knopffen/
patri amantissimo.
DN. MICHAELI PARMANNO,
CONSULIBVS.
Nec non cæteris Dnis. SENA-
TORIBVS Reipub. Gnojensis,
*Spectatis. Gravissimis; Patronis & affinibus
suis, reverenter colendis.*



Hasce positiones Theologicas,
Amoris ac observantiæ
debitæ ergò,
Dico & Consecro,
M. JOHANNES CNOPIUS
Gnojensis Megap.

THESIS PRIMA.

VT prudentibus loquor: Judicate vos, quod dico. Sic liceat & mihi in hoc potissimum articulo, qui Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum charitatis describit, cum Divino Apostolo de eodem negotio apud Corinthios 1. Cor. 10. v. 16. verba facturo presari. Etenim notitia rei Sacramentaria, ut olim Corinthiis Christianis fuit vulgaris, ita nunc hodie quoque debet esse nobis omnibus ac singulis, Clericis & Laicis, fidem Christianam profitentibus familiaris, secus quam Romanensis ille Cacus, Tarpejus Cerberus suis in decretis misit.

II. Decet verò nostram illius articuli scientiam esse non minus incorruptam, quam perfectam. Perfectam dico, ne Cœnæ Dominicæ fructum atque usum salutarem rectè ac piè duntaxat teneamus, contra fidem nostram de ejusdem substantiâ integrâ, de quâ subinde varia in Ecclesiâ certamina recrudescunt, æquis animis suspendimus. Ut enim duabus quasi partibus salutaris Christi Servatoris nostri cognitio perficitur, cognitione scilicet cum Personæ, tum Officij ejus, quarum utraq; conjungenda, non confundenda: sic in Sacramentis duarum cum primis questionum conjunctè, sed distinctè ratio habetur necessaria servaturque à Theologis Orthodoxis, una de Substantiâ, altera de Efficaciâ Sacramenti, quarum alterutra seorsim absq; alterâ percepta & cognita, mutilam præstat & imperfectam doctrinæ Eucharisticæ notitiam.

III. Incorruptam verò; ut locum non Rationi stultæ, sed Fidei indubitatæ unice relinquamus, ne occultis ac latebrosis antiqui illius tortuosi serpentis accessibus circumventi, noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei afferamus, semper memores ejus quod, ab aureo illo dicendi apud Theologos flumine Chrysostomo in 1. cap. ad Galat. profertur, quod quemadmodum in moneta Regiâ, qui paulum amputaverit de impressâ imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subvertèrit, in totum corrumpit, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. Satius autem fuerit, si auribus ac mentibus nostris horribilis illa Apostoli 1. Cor. 11. v. 29. sententia insonet. Qui non judicat corpus Domini, reus fit corporis & judicium sibi manducat.

IV. Quocirca ne quovis doctrina vento circumferamur fluctuantes, sicut Hilarius de Arrianis dicere est solitus, ipsos annuas & menstruas fides figere atq; resigere; neve ex petulanti ingenij licentiâ atq; ablandiente sensus nostri ignorantia in horrendum Dei iudicium nos proripiamus; quid credendum sit in Sacramento Cœnæ, quid non sit, age in piam eruditionem & eruditam pietatem meditemur, ne & idem nobis, quod olim in induratos Phariseos gravius dictum fuit, Dominus noster Iesus Christus stomachabundus exprobet, Non legistis?

V. Verum enim verò quoniam ab Hilario rectè lib. 1. de Trinit. dictum meminimus, quod optimus ille est Lector, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neq; cogat hoc videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum; Idcirco Christiani esse ingenij reor, ut in Eucharistiæ negotio occupatus mentem à sensibus revocet, & cogitationem ab humanis, quamvis concinnis, opinionibus abducatur, seq; totum secundum Apostoli ideam ad ipsam primam Institutionem Dominicam recipiat, à quâ ne arguam quidem transversam abscedat oportet; nihilve faciendum ac credendum patet, nisi quod primum, qui ante omnes est, Christus prior facere ac credere præcepit.

VI. Inquam sententiam cum & nostræ rationes quasi in unum consilient & convenient, initio divinis Sacramenti Eucharistici verba in duas generales sectiones differtimur, quarum prior ipsam Eucharistiæ institutæ celebrationem oratione partim non enunciativâ, partim ἀποφωλιχῆ seu enunciativâ describit; posterior statutum ac jus dispensationis sive præceptum de Cœnæ illius usu atq; administratione seculis insequentibus non semel reiterandâ refert.

VII. Nobis utrumq; membrum non tam ad antithesin τῆς ἐπεσοδίασκαλιος destruendam, quàm ad thesin τῆς ὀρθοδοξίας austruendam (ut non nemo intelligat, nos Sacramentum illud verè venerari ut σὺμῆλορον ἀγίας, non μῆλορον ἐπεσοδ.) in materiem disputationum Theologicarum propositaris expositurûq; est consilium & animus tenorem verborum Institutionis ab Evangelistis Matthæo, cap. 26. v. 26. 27. 28. Marco, cap. 14. v. 22. 23. 24. Lucâ cap. 22. v. 19. 20. & Apostolo Paulo, I Cor. 11. v. 23. 24. 25. expressam ex ordine continuatâ quasi dictorum singulorum progressionem οὖν Θεῶν persequi. DEUS, Sanctifica me in veritate tuâ; Sermo ille tuus veritas est.



DOMI-

DOMINVS NOSTER JESVS CHRISTVS.

I. Magnam sibi auctoritatem Testamenta à testatore conciliant; maxima igitur ac divinisissima sit Sacrosancti atq; venerandi illius Eucharistici auctoritas consequens est, quoniã hujus perhibetur author, non Monarcha secularis, non Propheta, non Apostolus, non Angelus, non Archangelus, sed DEI ac Mariæ filius, Christus Θεὸς ἐκ τῆς Πατρὸς, qui propterea venit, ut faceret voluntatem Patris in formâ servi; quamobrem in statu suæ exinanitionis, Patris quidem sui, à quo erat missus, respectu appellatur SERVVS, 1. Par. 17. v. 19. Es. 42. v. 1. & 53. v. 11. Ezech. 37. v. 23. nostri autem, ad quos venit, nomine meritisimè appellatur DOMINVS NOSTER Iohan. 13. v. 13.

II. Hic ille DOMINVS est, cui omnis data est potestas in cælo & in terra, Matth. 28. v. 18. Si autem certissimo illius omnipotentiae argumento Hebr. 11. v. 18. 19. passus est sibi credentium pater Abraham facile persuaderi, utrumq; scilicet (& Isaac posteritatem fore stellis numerosiorem, Gen. 15. v. 5. 6. & Isaacum nihilo tamen minus in primâ suâ aetate esse mandandum, Gen. 22. v. 2.) citra omnem ἀντίφασιν stare posse, pudeat nos, nolle nos & in hac mysticâ, inscrutabili & sacratissimâ Cœnâ paternos mores imitari, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5.

III. Hic ille est DOMINVS, qui veritas ipsa est ac mentiri nescit, cujus mystica dicta velle stulto rationis scrutinio assequi absurdum fuerit; ipsæ verò fidem non adhibere, damnosæ est incredulitatis.

IV. Hic ille est DOMINVS noster, qui ut solus Sacramenta salutem Ecclesie conferentia & obsequantia sapienter potest nova figere ac vetera refigere, ita de eo Propheta Esai. 1. v. 2. graviter intonat: Audite Cæli & auribus percipite Terra, quia Dominus locus est. Caveant igitur sibi omnes Theologi ac Philotheologi ἀρετῆς καὶ σωτηρίας, ne illum Cœnæ Dominicæ articulum rationis suæ iudicio aestimare satagent, hoc est, ne aures ad Christi Testatoris vocem occludant, suum autem os in celum ponant & scrutentur alta Dei, redientesq; ad nos referant verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui, & dum parati sunt de omnibus reddere rationem, etiam quæ supra rationem & contra rationem præsumunt & contra fidem. Quid enim magis contra Rationem, quàm ratione rationem conari transcendere; & quid magis contra Fidem, quàm credere nolle, quicquid non possumus contingere, ut Bernhardus ad Innocentium Papam Epist. 190. non minus verè quam eruditè scribit.

V. Prima isthac Testatoris, Domini nostri Iesu Christi periphrasis gravissime nos omnes, quibus unum est de Christi nomine nomen, Christianos præmonet, ut in singulis deinceps questionum atq; opinionū hunc maxime articulum concernentium argumentis nihil prius, nihil posterius ducamus, quam ut de toto negotio Eucharistiae sobriè, non curiosè: reverenter, non petulanter, prudenter, non negligenter sentiamus, discamus, dicamus: ut, quemadmodum mens hominis pij ac cordati ceteros nostræ Religionis Christianæ articulos humanam rationem excedentes, etsi causæ eorum omnes non reperiuntur, spontaneo huius nostri Domini obsequio diligenter observat, ritè inferens: DOMINVS dixit, & facta sunt; quia est omnipotens: DOMINVS dixit, & sunt; quia est verax; Credendum est dictis; quia DOMINVS dixit: ita in Sacramento Eucharistiae non pauca hominum, hominum vero? imò & Angelorum captum longè superant, in quibus tutius erit, fide simplici & piscatoriâ assumere quod datur, & credere quod dicitur, quam disquirere quomodo fiat, ut detur, quod dicitur, quia locutus est DOMINVS NOTER IESVS CHRISTVS.

IN EA NOCTE, QVA TRADITVS EST.

I. Notatio nocturni temporis nos de primâ huius sacrosanctæ Cœnæ institutione ac celebratione à Christo primitus factâ probè commonefacit, ut nimirum sciamus, institutum hoc sacrum esse epulum non sub seculis Patrum ac Prophetarum veteris Testamenti: neq; dum adhuc Sacramenta veteris populi planè vigeant: sed principium huius Eucharistici Sacramenti esse collocandum in istam noctem, quia Dominus noster secundum verissimam prophetarum oracula, umbris ac typis Leviticis sensim expirantibus, est à Iudâ suo proditore traditus osculo, & traditus non ad gaudia, sed ad tormenta, uti pia antiquitas loquitur.

II. Vfus huius observati temporis est primo πῆξις ἑλεγχου. Inde enim manifesti erroris egregiè arguuntur Calviniani mala sua ac desperatè in negotio cœnæ causæ presidium non in primæ institutionis verbis, sed in 6. cap. Iohan. queritantes, cum tamen concio Christi Iohannis 6. expressa, annum integrum fuerit antegressa cœnam institutam.

III. Sitq; dispar occasio, qua permotus Christus cœnam instituerit, & qua de pane Dei & pane vitæ apud Iohannē fuerit concionatus. Cum enim Christus Ioh. 6. pridie quinq; millia hominum quinq; panibus saturasset, ac singulorum famem naturalem miraculosè explevisset, admonet postmodum suos auditores, ut talem potius deinceps cibum quaerant, qui eos in æternum pascat, ac porro subjungit, cibum
hunc

hunc calitus dari, & suam carnem esse hunc cibum: Tandem perfans in eadem
metaphorâ concludit: Nisi quis comederit carnem ipsius, eum vitæ æternæ nõ fu-
turũ compotem. Omnia igitur hæc figurato sermonis genere metaphorico dicta sunt.

IV. Præterea manducatio & bibitio, de qua Ioh. 6. præcipitur, non primitus ca-
pit sub nocte istâ, qua Christus est traditus, quin multis retro seculis jam ante vi-
guit, quam vel cogitatio ulla potuit esse de sacramentali Corporis Domini cum
pane manducatione, atq; Sanguinis cum vino bibitione, quam non nisi Christus
jam morti vicinus in sui memoriam instituit.

V. Sed & quo magis disconvenientia capitis Iohannitici cum Cæna institutione
appareat, mutua utriusq; loci collatio satis edocet. Istic enim apud Iohannem ca-
ro Christi metaphorice dicitur panis vivificus: in verbis verò cæna verus panis à
Christo distribuitur, & cum eo nobis communicatur corpus Christi.

VI. Deinde Ioh. 6. carnem Christi manducare & sanguinem bibere, id est, in
Christum credere jubemur: Sum enim hæc phrasæ figuratæ à propria significatio-
ne translata ad exprimendam fidei naturam. Etenim quod versu 47. simpliciter
dicit: Qui credit in me, habet vitam æternam; id versu 54. figuratè notat; Qui
manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. In
Cæna verò panem naturalem, naturaliter comedere jubemur, sed & additur, cum
panis esu nobis sacramentaliter communicari corpus Christi. Hoc enim vult Apo-
stoli dictum, 1. Cor. 10. panis, quem frangimus, &c. Non enim dixit, panis sim-
pliciter, sed panis quem frangimus.

VII. Sed instat aliquis: cum modus communicationis in cæna non exprimat,ur,
ex alijs scripturæ locis petendam esse explicationem: Nullus autem est locus præter
istam Iohannis, qui propius ad verba Cænae accedat; & per hoc cum in 6. cap. Io-
han, manducare corpus nil sit aliud quam credere, etiam illa sacramentalis corpo-
ris Christi communicatio alia non videtur esse, quam beneficiorum corporis Christi
piorum per fidem facta applicatio.

VIII. Equidem haud invitus huic sententiæ & acceptioni accederem nisi me
illa absterrent quæ superius sunt dicta, ubi fidei communicationem ad verba
cænae haud quadrare ostendi. Sed & illud me movet, quod locus Iohannis totus
per metaphoram intelligendus venit, quo ad manducationem carnis attinet; Verba
autem institutionis omnia sunt propria. Quid a. absurdius, quam propria dicta
per ea interpretari, quæ per translationem dicuntur. Postremo tamen si verum &
rectum sit obscura scripturæ loca ex aliorum collatione interpretari: tamen et-
iam atq; etiam videndum, an præsens locus, quem aliunde explicare voles, eam
interpretationem ferat.

X. Secundus usus est huius temporis expressi *αὐτῆς διδασκαλίας* ad lo-
cū
Erinē

Arinam, quæ sese hoc loco offert, partim Literalis, partim Spiritualis seu allegorica.

X. *Literalis est, quod Christus non diurno seu nocturno tempore hanc instituisse cœnam legitur, eò quod ultima paschalis agni celebrationi, quæ ex lege in cap. 12. Exodi severe à DEO præscripta non nisi in noctem incidebat, novum hoc & ab omnibus seculis inauditum sui corporis ac sanguinis convivium immediate subjunxerit, & hoc in illius tanquam jam abrogati Sacramenti locum surrogare voluerit, non tamen ut continuationem & complementum ejus, verùm ut Sacramentum peculiare novum (sublato illo vetere) Novi Testamenti proprium, quod tanto intervallo distat à Paschate seu agno paschali, quanto corpus ab umbra, Col. 2. v. 17. Ebraor. 10. v. 1.*

XI. *Quod eò dicitur, ut intelligatur hac ipsa noctis observatione nobis Christianis non temporis legem fuisse sancitam ac statutam, nec primam hujus instituti Sacramenti celebrationem posse præjudicare libertati Ecclesie, ne diurnum tempus sit sacrum Eucharisticae actioni, in qua aliquid necessitati Salvator dedit. Summus enim cum Christo ab elementis mundi mortui, nec nobis amplius propter temporis vel observationem vel neglectiorem conscientie scrupulum iniqui patimur, Coloss. 2.*

XII. *Spiritualis est, quod ut nocte cessante illucescit dies, sic Sacris veteris Testamenti, quod nocti & umbræ non raro assimilatur, abolitis, tanquam umbris nova jam nunc sint omnia sub hoc Novi Testamenti tempore novissimo conformata, quorum & usus cum mundi hujus visibilis duratione à die in diem perpetim sit duraturus, ut Apostolus sigillatim usum Eucharistiae esse semper in hoc mundo duraturum, donec Christus veniet ad judicium, clarissime affirmat, 1. Cor. 11. v. 26.*

XIII. *Tertio usus est $\alpha\epsilon\gamma\varsigma \pi\alpha\rho\delta\epsilon\iota\omega$, ut nimirum & Salvatorem nostrum & ipsius hoc Sacramentum summè venerari discamus.*

XIV. *Salvatorem quidem; utpote qui morti vicinissimus suisq; quasi immemor, singularem de nostrâ salute promovendâ curam habere maluit, quam ut præsentis sui, quod persentiscebatur, mortis periculo consulere, idq; subterfugeret.*

XV. *Sacramentum verò; quippe quod hujus sui in nos affectus inexplicabilis $\pi\alpha\rho\mu\epsilon\tau\omega$, cum nec majus, nec certius esse corporis ac sanguinis sui sigillo posset, proponere voluerit in ea nocte, qua traditus est.*

ACCEPIT PANEM.

I. *Duobus conficitur atq; constat hoc Sacramentum, inquit August: in Sententijs*

ejus Prosp. disputatione 2. de Confess. cap. hoc est. Quæ isthæc sunt? Symbola seu signa, quæ & vulgò Elementa dicuntur, & Res signata: Illa rei terrene, hanc rei cœlestis nomine indigitat Ireneus lib. 4. adversus Valentianum c. 25.

II. Symbola in Sacramento sunt gemina: unum esculentum, Panis; Poculentum alterum, Vinum scil. Res signata est Domini Corpus & sanguis.

III. Quæ hoc loco à Scholasticis quæstiones agitantur, nempe Cur Christus sub duplici elementorum Specie maluerit, quam sub un. hoc Sacramentum institueret? Cur panem potius ac vinum quam quævis alia elementa ad sui corporis ac sanguinis communicationem delegerit &c. In his & consimilibus rixosis contentionibus nostram ignorantiam fateri non erubescimus. Nam multum sæpe adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiamsi facultate disputandi refutare non possit, ut August. de Hæresibus ad Quodvaldeum in Epilogo loquitur.

IV. Id autem negari non potest certo quodam, non tamen incognito, consilio, non fortunâ cœtâ distinctas fuisse elementorum species à Christo ordinatas, ut sicut Symbola sunt distincta, distincta quoq; sit eorundem participatio, atq; ita, ut secundum ordinem verborum institutionis prius de benedicto pane vescamur, quam ex poculo benedictionis bibamus.

V. Cur autem Apostolus istum partium ordinem pervertat, ac calicem vini præponat 1. Cor. 1. 10. 16. secus quam habet prima institutio testamentaria, variant Theologi Scripturarum interpretes. Id modò dicimus non inde probare posse sciolos quosdam, atq; si liberum esset, ordinem partium in externo Cœnæ usu immutare.

VI. Vocabulum verò Panis hic non generaliter (uti quidem fit in 4. petitione Orationis Dominicæ) accipitur, ut vel carnem, vel caseum, vel lac, vel mel, vel quodvis βρώμα καὶ ἐσθίμιον significet, sed solus ac purus panis ex multis frumentorum granis compactus, & ex farinâ confectus. Quemadmodum & vocabulo Vini non alius liquor, quam qui ex multis acinis borris ac uvis est expressus ac coactus, notatur.

VII. Cæterum temporis circumstantia superius notata innuit Panem fuisse azymum, quo Christus sit usus in synaxew's institutio .i.e. Etenim lege divina, quam à Salvatore tenere fuisse suo factò violatam non vero est simile, cautum erat, ne Hebræi non modò fermentato pane per integrum septiduum vescerentur, sed etiam ut omne fermentatum ex ædibus suis amoverent expurgarentq; Exod. 12.

III. Quamobrem quod Christus panem azymum seu non fermentatum in primâ hęc cœnæ sacræ celebratione adhibuit, id legi veteris Ecclesiæ dedit, nec ed Christianorum Ecclesiam ad ullam panis qualitatem seu speciem astrinxit. Si enim in aliud tempus actio isthæc Eucharistica incidisset, licuisset & alio pane vesci Judeos.

B

Sic

IX. Sic contra quoniam nobis Christianis non sunt temporum observatione lege amplius fixæ ac statuta, quas transgredi sit nefas. Itaq; nostræ Ecclesiæ in Libertate Christiana stantes panem azymum in Sacrosanctæ cœnæ administratione citra ullam necessitatis opinionem retinent, unaq; operâ mysticum eius usum, quem Apostolus 1. Cor. 2. 5. exprimit, innuunt, quasi symbolice omnes, quibus est societas cum pane Domini, commonesciantes, ut expurgantes vetus vel veteris Adami fermentum, à malitiæ ac nequitie fermento abstineant, ac in azymis sinceritatis & veritatis deinceps epulentur, ut nova fiant massa, omni scelere ac hypocrisis vacua.

X. Præterea semper nobis debet esse Theologorum Regula in Sacramentis probe commendata, ut sc. substantiâ ab his, quæ per accidens adveniunt, distinguamus. Nam quæ ex accidenti sunt, variant, nec ea tamen, quæ per se sunt, ac dicuntur, immutant. Eodem modo & de Sacramenti Eucharistici substantiâ esse panem ac vinum asserimus, illum de esculentâ, hoc de poculentâ; Qualitatem vero utriusq; cum ea sit ex accidenti, esse indifferentem. Modò enim panis sit & vinum, cuius usum tanquam simpliciter necessarium in mysticâ cœnâ docemus & retinemus; perinde esse arbitramur, panis iste sit ne hordeaceus an triticeus, fermentatus an infermentatus: Vinum istud sit nec ne rubrum vel album, annosum vel hornum.

XI. Quod si enim omnino talis panis (ratione suæ qualitatis) esset in nostrâ cœna usurpandus, qualem Salvator in primâ cœnâ distribuere, necesse foret, nunc quoq; panem ex epulo agni paschalis reliquum distribuere & comedere. Namq; & hæc panis dominico accidebant.

XII. Ex hisce, quæ diximus, de panibus istis minoribus sive nummularijs, ut à Gregorio Magno vocantur, quos Hostias vulgus nuncupat, ed, quod isti panes ex oblationibus ad pauperum & Ecclesiasticorum sustentationem in altaria oblati desumebantur, unde & ipsi panes germanico nostro Idiomate Oblaten & rotam Sacramentum ἀροῦται dicebatur; de hisce inquam orbicularibus nostris atq; in denarij modum formatis panibus iudicium nullo negotio ferri potest, quod nimirum istâ externâ panis formâ ac figurâ, quæ nobis est non oblonga aut lata ad morem plecentarum judaicarum, sed minor atq; orbicularis, nihil quicquam Eucharistici Sacramenti integritati ac panis veritati derogetur.

XIII. Fuisse quidem magnum panem apud priscam Ecclesiam in usu minimè inficiamur. Is enim de Eleemosynis, quæ olim offerebantur, exercebatur. Mutatâ vero Eleemosynarum circumstantiâ, per multa secula panis iste non fuit in usu. Quod si mansisset in usu, uteremur isto panis; nunc quæ nunc est in usu, eo utimur. Sic tamen ut statuerimus nos altero etiam uti posse, non autem nos eo uti necessitate debiti ac coactionis debere, ideoq; revocandum esse: quemadmodum & Salva-

eor, quem tempore primæ institutionis habuit in promptu, eum sine omni superstitione aut coactione ACCEPIT PANEM.

ET POST QUAM GRATIAS EGISSET.

I. Quod Lucas c. 22. 19. & Paulus 1. Cor. 11. 24. Εὐχαριστίαν gratiarum actionem nominant. id ipsum Mattheus c. 26. 26. & Marcus c. 14. v. 22. εὐλογίας benedictionis vocabulo exponunt. Quænammodum & Paulus 1. Cor. 10. 16. Poculum pronunciat esse εὐλογίας poculum, quod alij dictum esse arbitrantur, à collectis seu contributionibus, quæ in pauperum usus à communicantibus ditioribus habent, quas εὐλογίας dici constat ex 2. Cor. 9. v. 5. Sed est isthæc interpretatio alienior ab annexâ explicatione ipsius Apostoli afferentis: poculum benedictionis ἢ εὐλογῶντος cui benedicimus, nonne est communicatio sanguinis Christi? Quibus verbis non potest ea eleemosynarum contributio venire, ut & verborum sensus satis arguit. Quid igitur εὐλογίας & εὐχαριστίας nomine intelligatur, porro est inquirendum.

II. In communi quidem ac quotidiano suo usu sunt hæc duæ distinctæ Invocationis species, ex quibus εὐλογία cibum antecedit, εὐχαριστία sumptum cibum insequitur; utraq; appellatio in Sacramenti Eucharistici institutione συνανύμνωσ accipi videtur, cum Evangelistæ & Apostoli promiscuè ac indifferenter istis vocabulis in hoc negotio utantur.

III. Non autem hisce verbis actionem vel solius Dei generalem, qua, quæ fecit omnia benè fecit, & benefaciendo singulis benedixit: vel Christi vulgarem & consuetam, qua circa convivia alia in cibi sumptione Deo gratias agere est solus: vel præcipuè auditorum specialem, qua itidem Deo gratias agunt pro Christo victimâ peculiarari factò, quorquor hoc Sacramento dignè fruuntur;

IV. Sed singulare quoddam Reverendi ministerij opus notari putant Theologi magni, quo scilicet opere sicut Christus panem sacramentalem in symbolum & medium manducationis sui corporis εὐλογία seu εὐχαριστία sanctificavit ac destinavit, ita mediantè hac ministerij operâ, quæ in orando, benedicendo, cæteris ἢ ritibus pijs atq; eucharisticis consistit, elementorum fiat benedictio, ut sint medium, per quod nobis communicatur corpus ac sanguis Domini, ita ut qui vescatur pane, corpus ipsam Christi comedis, & qui bibit vinum, ipsam sanguinem bibisse, sit dicendus.

V. Sicut enim elementorum, super quibus hæc εὐλογία facta est, non vulgaris ac naturalis usus in ultimâ cenâ amplius attendebatur: Ita εὐλογία, quæ
B 2
propter

propter hunc mysticum usum fuit instituta, nova fuit & presenti negotio accommodata.

VI. Quod quidem opus veteribus dicitur Sanctificatio, Apostolo Benedictio, & usitata appellatione Consecrationem indigitamus.

VII. Et circa eam tria cumprimis observanda veniunt. 1. Ex parte causæ finalis. Est enim consecratoria hæc actio & precatio non ad symbola, sed ad Deum super Symbola directa; non ut eorum substantia in corpus vel sanguinem Christi transfunderetur, vel ut Pontificij loquuntur, transsubstantiaretur; aut ut vi quadam verborum magicâ nova ac supernaturalis quedam qualitas & virtus elementis externis conferatur, quæ in ipsis absolute hæreat, & per quam agant & influant in utentis sive communicantis animam, aut effectivè aut dispositivè, quæ cum applicantur, sanctificent, sicut emplastrum applicatur vulnere. Sed quod corporalia symbola illa à communi suo usu ad novam, sanctum, mysticum & sacramentalem usum, quo sunt mediæ communicationis ac participationis rei celestis, corporis videlicet ac sanguinis Domini, per verbum ac preces transferantur.

IV. 2. Ex parte personarum. Etenim in Eucharisticâ consecratione sua debentur partes, & Christo, & Ministro, & universo Populo unâ cum Clero.

IX: Populo quidem, qui in purâ Evangelij doctrinâ atq; in sacramentorum fide sincerâ rectè institutus, suas ad Deum preces attentissimas in Cœna negotio fundit, juxtaq; gratias gratissimas DEO patri pro Filio in carnem propter nos & nostram salutem misso agit. Nihil verò Scriptura verbis conceptis certam & standi ac gratias Deo agendi formam præscribit, sed hoc pro ratione circumstantiarum ad ædificationem Ecclesiæ liberum permittit, modò servetur fundamentum h. e. ipsa institutionis verba & doctrina de Sacramentis incorrupta, unde sumi debent preces, gratiarum actiones, exhortationes, explicationes &c.

X. Ministro verò, qui institutionis ac promissionis verba non tacite apud semetipsum musitat, sed audiente tota Ecclesiâ clarè & significanter exprimit. Sicq; & pani & calici benedicit ad exemplum Christi, qui non mutam actionem in primâ Institutione adhibuit, sed dixit, hoc est corpus meum &c. Inde Ecclesiâ vere & piè decernit, dictis seu verbis Christi $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha\upsilon$ primitus instituentis fieri benedictionem seu consecrationem Eucharisticam.

XI. Christo deniq; qui verbo suo à ministris pronunciato in hac actione præfens adest, h. e. mediante institutionis verborum recitatione, interveniente ministri consecrantis operâ, divinam suam exerit virtutem, per quam cum pane corpus, & cum vino sanguis Sacramentaliter, modo scilicet incomprehensibili, uniantur.

XII. Sicut enim ipse est, qui baptizat, licet per ministrum, ac efficit, sed per ver-

per verbum suum, ut aqua baptismi sit aqua, non tam corporis externas sordes abluens, quam non renatos corpore & anima regenerans & renovans, unde & Apostolus baptismum nominat lavacrum aquæ in verbo. Sic idem ipse Dominus noster Iesus Christus est, qui dicit, sed per ministrum dicit, Hoc est corpus meum; Ipse est, qui potentia verbi illius vescentibus exhibet corpus & sanguinem suum, sed per ministrum.

XIII 3. Ex parte materiæ; Etenim omne sacramentum est actio, eaq; non profana, sed sacra. Si sacra; necesse est ut sit non hominum, sed Dei verbo instituta atq; sacrata. Si sic; verbum non quodvis, sed proprium & peculiare, quod & mandati & promissi capax sit, requiritur. Tale autem in universa scriptura non est verbum, nisi institutionis verbum. Istud igitur & non aliud; integrum, & non multilatum; ore prolatum, non solum corde creditum verbum est simpliciter necessarium atq; essentiale in actione Eucharistie consecratoriâ, ut id ipsum ad Elementum panis & vini accedat, quo fiat Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Huc pertinet August. illud dictum Tract: in Ioh. 20. Quare non inquit Christus, mundi estis propter baptismum quo lori estis, sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum: & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.

XIV. Quod igitur Bessarion disputando quaerit, an consecratio fiat per verba institutionis, an verò per verba Canonis; prius asserentes, sentimus posterius non posse nisi impie affirmari, quandoquidem nefas esse ducimus humana divinis equare vel præferre; atq; in negotio Eucharistico quidquam verbis divine institutionis sive in tantum sive in totum derogare, idq; ad Missæ canonem, qui ab hominibus ex corrupto & integro, imo ex quam plurimis corruptis est consarcinatus, transferre: uti Chemnitius in Exam. Concilij Trident: ex Scriptura & Antiquitate probat.

XV. Ac Thomas 2. quæst. 83. Artic. 4. Consecrationem solum in verbis Christi confici, reliqua verò in Canone pertinere ad præparationem sumentium, verius statuit, quam Colonenses qui in suo Antihidid. ignate non verentur tanquam insanos increpare, qui negant panem & vinum consecrari in corpus & sanguinem Christi per verba instituti. nis, si non adhibeantur etiam verba & preces Canonis.

XVI. Quod restat, verba institutionis dupliciter considerantur, vel pro ut historicè tantum recitantur, vel ut qua narrantur, ritè per. guntur. Si enim solum verba recitamus, aut ab Evangelij is recitata legimus, nulla tunc est consecratio Eucharistie, sed id solum verborum recitationem, historicam dicimus.

Si verò & verborum institutionis tenorem recitamus, & secundum istam quæ
jusi & ut jusi sumus exequimur, tunc verbis recitatis panis ac vino benedicimus.
idq; non amplius historicam verborum recitationem, sed Sacramenti consecratio-
nem appellamus, ut Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 5. annotat.

XVII. Eminentum est igitur illud Bonaventuræ essatum lib. 4. distinct. 8.
quest. 2. Evangelistas ac Apostolos tantum historiam narrare, formam verò conse-
crationis ab Ecclesiâ Romanâ esse sumendam, atq; ideo Canonis missatici verba
commodiùs quam Evangelistarum & Apostolorum esse usurpanda.

FREGIT.

I. Quoniam panes apud Iudeos erant in placentarum morem confecti, ut digitis
quasi attrahendo frustulati in confringi potuerint, non ut nostri sunt domestici, in-
tractabiliores, crassiores, latiores & oblongiores panes, quos non commode nisi cul-
tellis dissecare ac discindere oportet. Eam ob causam & Salvator prius necessum
habuit integram panis in mensâ propositi massam in miniores portiones frangere
ac comminuerè, quam ut inter discipulos benedictam panem distribueret.

II. Ex quo sequitur, fractionem panis fuisse externam circumstantiam
ac preparationem quandam actionis principioris, hoc est, distributionis, quæ u-
nicuique est & solus finis fractionis; non actionem Sacramenti essentialem, sed merè
accidentalem, & non necessariam, cum propter aliud h. e. propter distributionem
commodiorem fuerit adhibita, ut si num. hodie quoq; maior panis portio in Cœnâ
ministrandâ fuerit obvia, quam ut ori ingeri possit, necesse sit frangi ac dividi
panem, antequam distribuatur: Si verò jam sit parvus vel in minores por-
tiones antè fuerit divisus, quid fractione amplius opus?

III. Hæc quo sunt clariora, eo quorundam Sacramentariorum circa Sa-
cramentalem panis fractionem impietatis inditia sunt manifestiora, nec ta-
men inter ipsos adhuc de fractionis actione convenit. Beza in Epistol. ad
Tilium, tria facit genera eorum quæ in sacra cœna Christus & fecit & fa-
cienda posteris præcepit. Præter esse dicitur eorum, quæ si quis ullo modo omit-
tat, cœnam Domini dici non possit celebrare, cujus generis est verbum institutio-
nis integrum, itemq; Elementorum distributio ac sumptio. Alterum, quæ si non eâ
ipsâ formâ fiant, quæ à Domino facta, tamen habitâ intentionis ratione, ritè fieri
dicantur: quo refertur materia sacramenti, panem & vinum, ut si quod panis
aut vini vicem vel ex usu communi vel pro temporis ratione supplet, & similem ali-
quâ alimoniz analogiam habet panis aut vini loco adhibeatur, rectè Cœnam Domi-
ni celebrari impiè docet. Postremo, quæ ut mutari, nedum tolli sine justâ præhensio-
ne non possint, tamen non tanti sunt momenti, ut propterea existimandum sit, cœ-

nam ibi nullum celebrari. Atq; ad hanc posteriorem classem refert panis fractionem, quam tanti tamen esse momenti iudicat ut qui illam non adhibent, Christi in quodam modo non immolatum, neq; veterem illam victimarum legalium dissectionem adumbratam, totidem penè Christos, quot singulares panes, tradere penè videantur.

IV. Hec à Beza distinctè & maxima ex parte impie proferuntur. Quam impietatem magis magisq; adaugent novi Anbaldini, qui panis fractionem seu frustulationem esse tum de Necessitate debiti, tum sub ratione typi, quo Christus crucifixus præmonstratur, mentuntur.

V. De fractionis Necessitate modò diximus, quàm sit pilam eumentum. Dominus enim panem fregit, quia erat magnus, quia erat distribuendus. Non igitur fractus per se, ac si esset actio præcepta vel necessaria, sed per accidens propter distributionem fuit adhibita.

VI. De fractionis fine, quem Sacramentarij sibi fingunt, significationem quendam analogicam, quod hac ceremoniâ in fide confirmemur, tam certò Christum pro nobis in cruce fractum, quàm verè panis frangatur, illud non modò non satis validum, sed ne conjecturam quidem probabilem ex Scripturis adferre poterunt, adeo ꝑ cultum faciunt sine verbo, h. e. ut verbo uno dicam, sunt Idololatra.

VII. Etenim fractio panis si Christum passum ac crucifixum præfigurare ex Hierocriticorum sensu debet; eum vel ratione dolorum, quos perpassus est, vel ratione sui ipsius, quàm Christus est, representet necesse est.

VIII. Præstitit enim omni Dei verbo, quo ἀναμικτὸς ἔστως demonstrari querit, fractionem Eucharisticam metaphoricè præfigurari. Christi dolores in arâ crucis, seu Christum frangendo panem, præmonstrare voluisse sic corpus suum in, credibili dolore pro nobis iri fractum, ut benedictum panem in minores portiones frangi coràm viderent Apostoli. Quin & ἡρώδης Salvatoris non tam fractiones quàm totâ actione figuratur; sicut Apostoli ad celebrantes sacrum hoc mysterium, Mortem, inquit, Domini annunciabitis, donec veniat, 1. Cor. 11. v. 26.

IX. Posterius sapere, magis adhuc sapit insignem idololatriam. Fractionem enim vel personam totam, quæ Deus est & homo: vel alterutra natura, sive divina, sive humana, vel altera duntaxat humane nature pars, corpus scilicet (ad animam non referre nimis est absurdum) significandum venit. Personam profiteri in Christo esse dissolutam ac fractam notoria est impietas. Naturarum divina est ἀπερίσβετος nec fractioni obnoxia. In humanâ quidem est facta anima à corpore naturalis dissolutione, quam quidem panis Eucharistici fractione præfiguratum comminisci est ridiculum. Inde si talis representatio ac significatio analogica constare posset, sequeretur alterâ fracti panis portione signari corpus; alterâ præfigurari animam, deq; unâ panis particulâ esset vera hæc enunciatio, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditum, seu fra-

seu fractum est. De alterâ sic dicendum foret, Hoc est anima mea, pro vobis fracta & à corpore dissoluta. Quæ ratione & lignum (non dicam ego nunc, sed quicquid facile intelligit, quod illud sit & quale) inter communicantes esset metuendum, ne forsitan exoriretur. Denique in corpore corpus Domini quia non fuit vel minimum osculum laesum & confectum Job 19. qui igitur, quod non est nec fuit, esse tamen vel fuisse adambretur: quin potius argumentum in Calvinianos retorquimus. Corpus Christi non est in frustra commutatum. Ergo nec panis frangatur. O execrandam idolatriam Calvinianorum!

X. Quandoquidem igitur nulla omnino causa panem frangendi in administratione nostræ Eucharistiæ datur necessaria, sed & quæ à Dypnosophistis fingitur typica & analogica, apertam impietatem præ se fert: ob id fractionem ipsam, tanquam quæ cœnæ ususque perficiat, Ecclesiæ nostræ non urgent: Sed indifferentem frangunt, frangentes panem, si opus fuerit, h. e. ut communicantibus commode distribui & exhiberi possit, ad exemplum Christi, qui quia panem non habuit, ut ad edendum citra fractionem commode distribui posset, FREGIT.

ET DEDIT.

I. Hoc est distribuit sive exhibuit. Quibus? Discipulis suis. In cœnâ igitur administratione duæ personæ concurrunt Exhibens una altera Sumens.

II. Hinc manifestò constat de quibusdam questionibus, quarum prior est. Num & Christus ipse hanc benedictionis Panem & Calicem sibi sumpserit? Nos negantem tuemur, donec oppositum probari queat. Quod enim Mattheus cap. 26. verba de genimine vitis, id est, vino non amplius à Christo bibendo immediate cœnæ Eucharisticæ subiungit, in eo isegologica Apostolis haud infrequens animadvertitur. Convivium enim illud à Christo celebratum duplici constabat cœnâ, Paschali & Eucharisticâ. Mattheus in genere respicit ad integrum convivium, nec in specie determinat, ad utram cœnam ea proprie sint referenda. Id vero Lucas ordine persequitur, diserte verba de non amplius bibendo vitis genimine referens ad priorem cœnam agni paschalis.

III. Posterior questio sepius inter Ecclesiasticas agitari solet, An nimirum verbi divini minister sibi ipsi sacramentum cœnæ possit administrare? Satis verò & primæ institutioni convenientius facere videntur, qui ab altero potius parochi petit, ut sibi panem & calicem Domini exhibeat, quam ut ipse sibi porrigat. Quod ipsum & ad consensum in religione testificandam, & ad reverentiam ministerio debitam declarandam facit. Est autem ut quis Collegæ sui vel alterius cuiuspiam verbi divini ministri præsentiam propter loci intercapedinem, vel
propter

propter corporis imbecillitatem vel propter alia incommoda desituatur, in hoc necessitatis casu, ut quisq; sibi est Sacerdos, 1. Pet. 2. sic Theologi consulunt, ut qui a talibus Ecclesiastes ceteros in Ecclesia Symmystas & ministros non fuerit aspernatus prius sese iuxta Apostoli præceptum, 1. Cor. 11. prober, tuncq; ipse sibi sumat corpus & sanguinem Domini, non tanquam è sua, sed Christi ipsius exhibentis manu, qui D E D I T.

DISCIPVLIS SVIS.

I. Quandoquidem lege Dei cautum erat, ut quælibet familia in una domo cum suis domesticis paschalis agni celebrationem perageret; Christo autem tunc temporis non alij præter suos illos 12. Apostolos, qui quidem ad agni paschalis commestionem sufficerent, præsentibus erant: ex consideratione hujus circumstantiæ intelligitur, cur nec alios, sive laicos sive feminas, sed solum suos discipulos ad hoc sacrum Eucharisticae cœnæ, quæ immediate ac sine mora priori paschali cœnæ suis substituta, convivium adsciverit & vocaverit. Apostoli enim totum non sacerdotium duntaxat sed & omnium fidelium in Ecclesia cœtum representabant.

II. Facit hæc personarum notatio primū $\omega\epsilon\sigma\ \delta\iota\delta\alpha\sigma\kappa\alpha\lambda\iota\alpha\upsilon$; ut sciamus, omnes fideles in Ecclesia, qui à Christo sive mediate sive immediate discunt, & ab ipso discipuli Christi seu Christiani cognominantur, promiscuè & indifferenter esse ad hunc salutarem cibum & potum vocatos, nec eorum quengua ab Eucharistiæ convivio, cæteris tibi paribus, excludenda; quæ testamenti seu fœderis, quæ appellatione Dominus ipse hanc sacramentam cœnam exprimit, ratio exigit, quæ non est singularis ac particularis certum quorundam hominum ordinem gratum vel sexum concernens, sed ut Testator non est $\omega\pi\sigma\tau\omega\pi\lambda\eta\tau\eta\varsigma$, ita sua quoq; bona & dona in suo hoc testamēto singulis Christianis seu heredibus leg. vit. & legata dispēsare voluit; tum $\omega\epsilon\sigma\theta\eta\kappa\eta$ verbis testamentarijs (Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur) apposita comprobatur.

III. Vt nō Corpus Christi pro omnibus est in mortem traditum, & Sanguis eius pro expiandis totius mundi peccatis est effusus; ita religio nobis est credere, cœnæ sacramentum esse pro sacerdotibus duntaxat vel pro alio quovis certo hominum ordine tantum institutum.

IV. Secundo facit eadem circumstantia $\omega\epsilon\sigma\ \epsilon\pi\alpha\nu\acute{o}\rho\theta\omega\sigma\tau\upsilon$ ut scilicet in id incumbam, ut sim^o non nomine tenus saltē, sed veri Christi discipuli tanquam digni sacri convivij hospites, ne cum indigno Iuda proditore nostra peccata intra nos celantes, manducemus panem Domini contra Dominum, ut Augustinus loquitur.

V. Duplices enim sunt Convivia huius cœnæ, Digni & Indigni: quæ distinctio oritur

oritur non ex comparatione personalis dignitatis respectu præsentis mysterij, ac si in homine quopiam aliqua per se inesset dignitas participandi horum bonorum sacramentalium, sed actioni humanæ in usu hujus sacramenti modus duntaxat statuitur.

VI. Digni igitur habentur, qui manducando & bibendo simul passionis Dominicæ recordantur, eamq; non animo tantum ac mente fidei versant, sed publice etjam prædicatione celebrant, seu, ut Apostoli verbis utar, qui seipsos probant & mortem Domini annunciant, 1. Cor. II.

VII. Indigni vocantur, non qui sunt extra ecclesiam: (quid enim nobis rei est cum his qui foris sunt) non qui à Christi doctrina & disciplina plane dissident: non qui in fide sunt infirmi: (hos enim Christus ad se invitat, vocat & suscipit, Mat. II. Rom. 15.) sed omnes, qui fidem ore profitentur, veritatem autem ac virtutem ejus abnegant, seu qui tum alienum quid à Christi institutione animis suis fovent, rationi scilicet stultæ nimium indulgentes; tum vitam & mores suos ita componunt, ut suo doctori Christo sint adversi.

IX. Ut autem fuit & Iude & Petro Apostolis: sic est utrisq; & dignis & indignis mensa Domini una, sed non utrisq; valet ad unum, ut August. l. 2. Contra literas Peliciani c. 49. & 55. ait: ut impia plane sit & blasphemæ Calvinianorum, integrum sacramentum ab indignis omnino non percipi, sed nuda solum symbola panem & vinum, non corpus, non sanguinem accipi, sententiarum opinio. Quam August. de baptismo contra Donatistas lib. 5. c. 8. eleganter refutans, Sicut, inquit, Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo sed male accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indigne quisq; sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus n. Domini & sanguis Domini nihilominus erat etjam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat &c.

IX. Tertio facit *ὁ εὐχριστός* & ad salvandas quæstiones, quibus Ecclesiæ exercentur, quarum prior est de controversiâ, Sic nec ne Cœna Domini sacrificium propriè sic dictum? Cujus quæstionis explicationem libet usq; ad voculæ, Hoc FACITE, considerationem reservare.

X. Altera est de Indignorum manducatione; & quid tò manducare & tò bibere in Eucharistiæ negotio significet? Cujus rei gratia quæritur, An Iudas proditor sacræ cœnæ interfuerit? ratio dubitandi exinde oritur, quoniã Antilutherani spirituales duntaxat manducationem & bibitionem urgent, ut manducare & bibere idè illis sit quod credere; A nobis contra rectius per *ἐν σέσω* urgetur, & ipsis opponitur Iudæ incredulitas. Quod si n. Iudas omni fide carens, imò maximâ perfidiâ contra Do-

tra Dominum flagrans non minus quam ceteri Coapostoli eundē à Domino calicem, de quo dicebatur, Hoc est sanguis meus, ore corporis, non fidei, qui plane destruebatur, excepit: Consequens erit Edere & Bibere in sacramentali hac actione nequaquam idem valere, quod credere atq; ore fidei percipere.

XI. Antecedentis veritatem alij negant, alij de ea subdubitant: Nos planè asseveramus. Si enim & Christi & Evangelistarum dictis fides est habenda, Iudæ præsentiam in cœnæ administratione inficiari non possumus. Quod enim Evangelistarum alij indeterminate asserunt, Christum dedisse panem & calicem discipulis suis, eosdemq; iussisse ut ederent & biberent: id determinatè Matthæus profert, Christum scil. iussisse omnes Apostolos, atq; sic etiam Iudam proditorem; dato enim discipulis poculo, ait Dominus. bibite ex hoc omnes. Memorabile itidem est quod Marcus suo calculo idem testetur his verbis, & biberunt ex eo omnes.

XII. Imò nulla ratio vel probabilis afferri potest, quæ neget apostolorum quenquam, qui quidem Paschali cœnæ interfuit à cœnâ Eucharisticâ affuisse, eo quod hæc illam continuo exceperit. Pascha v. commedit Christus cum suis 12. Apostolis, attestante Luc. c. 22. Ergo &c.

XIII. Porro si à Cœnæ usu fuisset exclusus Iudas, nec admissus, ceteri Apostoli non dabitassent, quisnam esset ille, qui Dominum proditurus esset, sed confestim omnem suspicionem in istum potius contulissent, quem Dominus sacrâ actione exclusisset.

XIV. Deniq; & circumstantia de lotionem pedum Ioh. 13. descripta satis idem illud arguit, Christum scil. communicasse integrum sacramentum tam Iudæ quàm ceteris quoq; DISCIPVLIS SVIS

DICENS.

I. Sollicitè id Christum in cœnæ institutione servasse atq; idem à nobis servandum præcepisse animadvertimus, ut in ejus administratione dicta factis & facta dictis conjungantur, ut non modò non muta esset actio consecrantis, nec muta forent spectacula aspectantium, sed etiam quo facilius & penitus sacrum Eucharisticæ mysterium externis videndi facta & audiendi dicta sensibus perciperemus atq; cognosceremus.

II. Sed quæ fuerint τὸ πρᾶξθ' αὐτῶν & facta usq; explicuimus; Restant τὸ λέξθ' αὐτῶν seu dicta.

III. Dicere a. hoc loco non significat vocem aëream & evanescentem emitte-re, vel saltem nudâ animi cogitata, quæ non semper actus & complementum insequitur, proferre, sed idem valet, quod omnipotenter ordinare, mandare & præcipere ut fiat, quod dicitur. Dei enim dicere est facere, uti & benedicere est benefacere. Quem-

re. Quem admodum creationis historia id satis comprobatur. Nec n. nudus homo, nec angelus creatus hic loquitur, sed Dominus è caelis æternus $\Delta\omicron\gamma\text{G}$, per quem omnia dicendo h. e. vocando & mandando creata sunt: ipse est $\delta\ \lambda\epsilon\gamma\omega\nu$ & dicens; ipse est qui nunc dicit, qui & olim dixit & facta sunt, qui præcepit & confiterunt Ps. 33. qui vocat ea, quæ non sunt, sicut si adessent, Rom. 4.

IV. Tale igitur creativum ac purè divinum $\tau\delta$ dicere in condendo Sacramèto intelligitur, quale & Centurio iste in servo suo sanando petit inquiring, Dic tantum verbum & sanabitur filius meus, Marth. 8. v. 8.

V. Vfus hujus loci est $\delta\ \delta\ \alpha\ \lambda\ \alpha\ \rho\ \delta\ \epsilon$, unde certi esse possumus de virtute, qua cum pane benedicto corpus Dominicum & cum poculo sanguis Domini Sacramentaliter præfens adesse & exhiberi possit. Virtus inquam hæc & potentia non sacerdotali verborum recitationi à nobis adscribitur, sed pendet à primâ institutione Christi $\text{I}\epsilon\text{-}\alpha\ \nu\ \theta\ \rho\ \omega\ \pi\ \alpha$ dicentis: Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus &c.

VI. Quod enim Christus in primâ cæna ordinavit, suoq; veraci ac præpotenti $\tau\alpha\delta$ dicere ac verbo consecravit & sanctificavit, id eandem ab eodem Christo adhuc panem & vinum per ministrum suum sanctificante vim in nostra cæna perpetuo retinet, ut quod Elementa panis & vinum non sunt per naturam, id sunt per Christi dicentis potentiam; puta, mediâ communicationis corporis & sanguinis Christi.

VII. Etiam si enim verba per os Sacerdotis proferantur: Sacramenta tamen Dei solius virtute & gratiâ sanctificantur: siquidem Christi dicentis, non Sacerdotis, dictum duntaxat Christi ex institutione primâ & ordinatione repetentis sunt verba, hoc est corpus meum &c.

VIII. Sicut igitur istud verbum Dei creantis (germinet terra herbam virentem) semel prolatum, singulis annis Deo sic principaliter operante, & naturæ cooperatione mediante fructus è terra producit; ita Christi verba in primâ cæna institutione pronunciata perpetuè firma sunt & efficacia, ut ubicunq; juxta Christi institutionem cæna celebratur, & verba Christi à sacerdote pronunciantur, Christus nunc quoq; per istud suum verbum in administratione Eucharistiæ repetitum vigore & virtute primâ institutionis sit efficax, Corpus & sanguinem suum vera præsentia distribuens: uti propositum nostrum allato simili Chrysostom. Hom. 7. de passione eleganter explicat.

IX. Idem Chrysost. & in Homil. de prodigione Iudæ collationem instituit inter hoc Christi dicere sacramentale, & inter illud verbum, crescite & multiplicamini, Quod semel dictum perpetuè in creationis articulo suam habet efficacitatè.

X. Similiter neq; suâ naturâ panis est corpus, vinum est sanguis Domini; neq; creatura ullâ omnibus suæ naturæ viribus præstare ad potest, ut Hoc sit corpus, Hoc sit sanguis; verum æternus ille Dei $\Delta\omicron\gamma\text{G}$ potentissimus est, infinita cum virtute

& re-

& redundantia facere omnia excellentiora supra ea, quæ vel mente & cogitatione concipimus Ephes. 3. Is semel illud quod nec naturâ est, nec creatura potest, per verbum suum efficit, dicens, Hoc est Corpus &c. Idem λόγος adhuc hodie & usq; ad finem seculi per ministrum suum consecrantis est DICENS.

ACCIPITE.

I. Quatuor quæstia ordine explicanda hęc sese offerunt. 1. An verbum λαμβάνειν accipere sit omnino de manus acceptione intelligendum? 2. An ore accipere & comedere sint synonyma? 3. Num Christus symbola consecrata Apostolis in manus dederit, an verò ori ingesserit? 4. An manus acceptio absolute & prorsus necessariò in cœnæ administratione sit usurpanda?

II. Ad primum respondeo: verbum τὸ λαμβάνειν seu accipere esse generale, & quamvis quocunq; modo & corporis instrumento sive ore sive manu peractam sumptionem & acceptionem significare, pro dispari rerum porrectarum accipiendarum vè conditione

III. His positis quid de secundo sentiendum sit facile æstimari potest: Generalius esse ore sumere, quam comedere. Nec enim omnis oris sumptio est comestio, quin comedere is demum dicitur, qui quod ori ingessit & accepit, simul deglutiverit, ut nemo comedit, nisi qui prius ore, quod comedit, sumpserit.

IV. De tertio probabile est, Christum suis discipulis in manus dedisse panem, quem jubet eos accipere. Ratio facti pendet non ex mandati conditione, ac si non fuissent eum secundum Christi mandantis sumptionem accepturi, si eis ori indidisset, sed ex accubitus ratione. Quia enim discipulorum pleriq; in prima cœnæ remotius paulo erant loco à Christo distribuente disiti, fieri aliter haud poterat, quin manibus panem distributus contrectarent, quemadmodum in Paschali cœnæ poculum vicino exhibitum Dominus porro iussit, ut alij alijs præberent.

V. Quod 4. & postremum quæstum concernit, sic paucis sentimus: ut distributionem, ita & sumptionem absolute & simpliciter esse in usu sacramenti Eucharistici necessariam. Ut a. sumptio isthac sit vel manu vel ore, neutrum id per se esse prohibitum, sed plane indifferens statuimus: Alterum tamen esse necessario tenendum, prout videlicet fert consuetudo Ecclesiæ, quæ si à superstitione abest, non est turbanda. Ac proinde cum nostrarum ecclesiarum consuetudo ferat, ut panem & calicem consecratum non de nostrâ, sed de ministri manu os nostrum accipiat, ut comedatur & bibatur, frustra litem de eo nobis intendunt Sacramentarij, quos Bezzam suum paulò rectius de hac adiaphoristica quæstione sentientem Epistola 2. ad Titium consulere volumus. Nobis interim est persuasissimum, nihil à nostris Ecclesijs hac in parte admitti, quod iustam reprehensionem mereatur, sit q; adversum dicto Christi discipulos iubentis ACCIPITE.

CO.

COMEDITE.

I. Hoc ultimum est dictorum Christi, quibus quæ faciendæ in externo Eucharistia usu sunt disponis, ut nuda germana verè habeatur, nec sint ad Sacramenti legitimum usum pertinentia, quæ Romanenses de hostiæ consecrata Circumgestatione, Adoratione, Asservatione, Elevatione &c. crepant.

II. Est v. hujus loci sedes propria circa quæstiones de corporis Christi Manducatione, quarum ingens est adversantium opinionum conflictus, quam in compendium relaturi nostrarum Ecclesiarum orthodoxiam distinctè proponemus.

III. Principio a nobis Theologorum quorundam *ἄσπορα* non displicet, dum inter Externam & Internam, seu Propriam & Figuratam dispeccunt manducationis speciem; propriamq; subdividunt in Naturalem & Sacramentalem sive mysticam; Figuratam v. nominant, quæ nobis Spiritualem dicitur.

IV. Sacramentarij contra duplicem duntaxat manducationem constituunt, unam Naturalem, alteram Spiritualem; Tertiam mysticam nimirum & Sacramentalem ceu distinctam ab utraq; speciem non agnoscetes: Qui error facile notatur, si observetur, quod tum Physica, tum Spiritualem locum habeat in his, quæ Sacramentum non sunt: Sacramentalis a non nisi in sacramento habeat locum. Vnde & dicta fuit Sacramentalis; sicut à modo, qui cogitando & dicendo est in explicabilis & incomprehensibilis, appellari consuevit Mystica, Specialis, Hyperphysica &c.

V. Physica manducatio est, quando os nostrum naturali modo excipit alimentum, dentibus id ipsum atterendo, comminuendo, lamando, masticando, deglutiendo, digerendo, concoquendo, & in carnis nostræ & sanguinis substantiam mutando: quemadmodum bubula caro manducatur vel bos fœnum comedit. Spiritualem est, quæ à fidelibus instrumento non oris sed fidei percipitur, & qua reddimur omnium Christi beneficiorum *συνωδοί*.

VI. Vtriusq; locum esse etiam extra Dominicæ Cœnæ usum non inficiamur: sed ita, ut nec diffiteamur esse utriusq; etiam in cœnæ dominicæ usu suum locum, licet adventitium.

VII. Quoniam n. rebus duabus Sacramentum constat, terrenâ & cœlesti, pane & corpore, vino & sanguine. Panis a & vinum, quia sunt naturalia elementa, idcirco quatenus talia modo naturali manducantur & consumuntur. Corpus a. Domini, quia non naturaliter cum pane est conjunctum, sed *ἁρραριστός*; idè modo manducationis naturali manducari & tractari non potest; Modus n. manducationis corporis Christi est ex naturâ unionis corporis Christi cum pane æstimandus.

IX. Quæ quo sunt luce meridiana clariora, eò Calvinianorū mendacia sunt iniquiora

quiora, quibus nostras Ecclesias suo more onerant, ac si Capernaïticam corporis Domini (horresco dicere) Lanienam, & cyclopicam $\sigma\epsilon\pi\tau\iota\sigma\phi\alpha\gamma\iota\alpha\upsilon$ & Scythicam ingurgitationem cruoris Christi aut rectè aut aperte profiteremur: Sed tamen ut ista sanctificati panis manducatio in Sacramento sit salutaris, & fiat in memoriam mortis Christi, id Spirituali manducationi b. e. fidei est adscribendum.

IX. Qua de re insignis est Augustini sententia: Non interest cum de Sacramento integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quali fide sit imbutus ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum & perversam fidem. lib. 2. contra Donatist.

X. Restat igitur necessario tertia manducationis Species, quam melioris distinctionis gratia cum Orthodoxis Sacramentalem appellare placet. Sicut enim unio Corporis cum pane, Sanguinis cum vino in Eucharistia est inusitata, cuius simile in tota rerum universitate exemplum dari vel effingi nequit, Ita & participatio istorum mirificè & mysticè unitorum inusitata sit necesse est, qua in, cum vel sub pane ipsissimum naturale Domini corpus verè & propriè manducatur; in, cum, & sub vino naturalis ipsius sanguis bibitur. Qui manducationis & bibitionis modus in Sacramento solum cœnæ factus propter allatam causam dicitur Sacramentalis, quandoquidem vocabulo convenientiori illum exprimere non noverimus.

XI. Sed ut Calvini nos eò magis erroris convincamus, quam verè ineptiant, dum manducationis Sacramentalis & Spirituales (Sacramentalem enim ad Naturalem nec referunt, nec referre possunt) gradum unum faciunt; has eis rationes opponimus.

XII. 1. Vna eademq; vox in una eademq; enunciatione & propriè & figuratè simul significari & intelligi non potest. Dicitur Christi, Comedite, Bibite, accipitur in verbis institutionis propriè. Ergo isthic non impropriè seu figuratè.

XIII. 2. Quidam manducando corpus Domini in usu cœnæ sibi iudicium manducant I. Cor. 11. At nemo iudicij reus fieri potest credendo in Christum. Igitur corpus Christi manducare in actione Cœnæ non potest significare idem quod est credere in Christum.

XIV. Deniq; quis Sacramentarius hanc interpretandi licentiam concessit, ut verba Christi ad suam, quem animo preconceperunt, sensum detorqueant: Aut quo scripturae testimonio hanc suam interpretationem stabilire volunt, quod corpus & sanguis Christi in Eucharistia idem sit & significet, quod est Christus homo & Deus cum omnibus beneficijs suo corpore & sanguine in cruce partis, & quod manducare ibidem designet quod est credere?

XV. Christus & Apostolus disertè & distinctè de corporis eius, quod in cruce pendit,

pendit & sanguinis, qui effusus est, praesentia & communicatione agunt. At boni isti viri Christum hominem & Deum cum beneficijs corpore & sanguine suo acquisitis, nempe de iustitiâ, vitâ & salute nobis partâ interpretantur.

XVI. Non illi quidem hallucinantur, cum Christum e jusq; beneficia adesse ac fide percipi asserunt. nec nos ei sententiæ contradicimus, sed hanc praesentiam & participationem huic praesenti loco non competere id dicimus. Verum quia illi nullam aliam norunt praesentiam, quam eam, qua Christus per verbum & sacramenta in hominibus efficax est, & sua illis beneficia & merita offert: Ita nec aliam manducationem, nisi eam, quae fide fit, apprehensionem & applicationem beneficiorum Christi. Ideoq; verba caena visum est illis ad hunc, quem diximus, sensum trahere. Sed vide quam longe sit petita haec interpretatio. Hoc est corpus, Hoc est sanguis, id est, cum hoc pane & vino efficaciter adest Christus cum suis beneficijs suo corpore & sanguine partis eaq; nobis credentibus offert. Item Panis, quem frangimus, est communicatio corporis &c. h. e. Cum panis usu simul accipimus fide Christum & omnia beneficia eius corpore & sanguine parta. Ergo nisi nostram sensum in scripturam importare malimus, quam verum ex ea deportare; fatendam erit eorum sententiam, qui corpus & sanguinem Christi in caena duntaxat fide seu spiritualiter manducari & bibi contendunt, ad institutionis verba minime quadrare.

XVII. Observandum igitur praeterea hoc loco & illud est, manducationem illam & bibitionem Spiritualem multis modis à Sacramentali differre. 1. Subjecto. Haec enim Sacramentalis locum habet solum in huius Sacramenti Eucharistici celebratione: Illa spiritualis in quovis Sacramento, uti & in ipsa verbi divini praedicatione & lectione.

XVIII. 2. Organo. Huius enim usui externo os humanum pro organo est destinatum: illa fit instrumento fidei.

XIX. 3. Usu. Haec neq; officit, neq; expedit, sed est indifferens pro qualitate utentium: Illa per se non est nisi salutaris, nec unquam damnosa.


XX. 4. Objecto. Haec ipsum corpus & sanguinem Christi substantiam respicit; illa beneficia corpore & sanguine Christi parta. 5. Haec pijs est eum impijs communis. Illa non nisi credentibus propria.


XXI. Qui ulteriorem huius doctrinae de Sacramentali manducatione dijudicationem una cum pleniore ejusdem explicatione cognoscere volet, Chemnitij Fundamenta de praesentia corporis & sanguinis Christi in caena c. 5. legat. Nolis satis firmamenta rerum Testatoris ac Salvatoris nostri dictum deos esse hinc.

COMEDITE.



15





quiora, quibus nostras Ecclesias suo more onerant, ac si Caper
 Domini (horresco dicere) Lanienam, & cyclopicam oxpro
 cam ingurgitationem cruoris Christi aut recte aut aperte profiter
 ut ista sanctificati panis manducatio in Sacramento sit salutaris,
 riam mortis Christi, id Spirituali manducationi h. e. fidei est ad
 IX. Qua de re insignis est Augustini sententia: Non in
 cramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & qua
 ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad
 ad Sacramenti quaestionem nihil interest. Fieri enim potest,
 habeat Sacramentum & perversam fidem. lib. 2. contra Donatij
 X. Restat igitur necessario tertia manducationis Species,
 stinctionis gratia cum Orthodoxis Sacramentalem appellare pl
 unio Corporis cum pane, Sanguinis cum vino in Eucharistia est i
 mile in tota rerum universitate exemplum dari vel effingi nequit
 istorum mirifice & mystice unitorum inusitata sit necesse est, qu
 pane ipsissimum naturale Domini corpus verè & proprie manduc
 sub vino naturalis ipsius sanguis bibitur. Qui manducationis
 in Sacramento solum cœnae factus propter allatam causam dicit
 quandoquidem vocabulo convenientiori illam exprimere non nov
 XI. Sed ut Calvini nos eò magis erroris convincamus, quat
 dum manducationis Sacramentalis & Spirituales (Sacramentalem
 lem nec referunt, nec referre possunt) gradum unum faciunt; h
 ponimus.

XII. 1. Vna eademq; vox in una eademq; enunciatione & p
 simal significari & intelligi non potest. Dicitur Christi, Comedit
 tur in verbis institutionis proprie. Ergo isthic non improprie seu
 XIII. 2. Quidam manducando corpus Domini in usu cœnae
 ducant 1. Cor. 11. At nemo judicij reus fieri potest credendo in
 corpus Christi manducare in actione Cœnae non potest significare
 dere in Christum.

XIV. Deniq; quis Sacramentariis hanc interpretandi licentiam
 ba Christi ad suam, quem animo præconceperunt, sensum detor
 scripture testimonio hanc suam interpretationem stabilire volun
 sanguis Christi in Eucharistia idem sit & significet, quod est Chri
 cum omnibus beneficijs suo corpore & sanguine in cruce partis, &
 ibidem designet quod est credere?

XV. Christus & Apostolus disertè & distinctè de corporis eius

